

LECTORI.

ANDREAE MAUROCENI *Vitam duo aetatis suae clarissima lumina, ipsi aequales* atque amicissimi enarrarunt: Aloysius Lollinus, *Belhmenfis Episcopus*; & Nicolaus Crassus. Utramque in hac nova ejus Historiae editione daturus, quam Crassus exposuit, praemisi, cum uberius mihi visa sit, ac ex ea lucidius appareat, qui cum privatim tum publice tantus vir fuerit. Accipe nunc alteram, Lollini opus, quae priorem quoque Historiae editionem praecit. Neque enim committam, quod toties in aliis jure reprehenditur, ut aliquid eorum desiderari hic velim, quae primum excusam historiam ornant. Satis praeterea hunc Lollini laborem commendant sermonis elegantia; stili etiam, nisi forte alicui supra hujusmodi scriptionis genus exsurgere videatur, juncta suavitati granditas; sed praecipue clarum auctoris nomen, ac ea, quae ab ineunte adolescentia cum Mauroceno nostro ipsi intercessit necessitudo, quam morum similitudo facile inter eos conciliavit, eorundemque studiorum communio. Si qua cupis mutuae inter tantos viros amicitiae testimonia, adi Lollini Epistolas Miscellaneas, quarum haud paucas ad Maurocenum datas invenies, plures etiam ad alios, ubi Mauroceni mentio saepissime recurrit: adi lucubrationes illas, quibus amici obitum Lollinus deflet, quarum suo loco nos quoque meminimus; ne quid addam de hac Vita, quam auctor scripsisse tantum proficitur, ut esset AMORIS FIDELIQUE suae MONUMENTUM: adi Mauroceni ipsius epistolas inter ejus Opuscula, haud multas illas quidem, sed pro dimidia ferme parte Lollino scriptas. Ipse tamen me tenere minime possum, quin ad hujus tam arctae familiaritatis argumentum pauca hic afferam excerpta ex quadam ejus epistola, ad Lollinum suum data Venetiis, idibus decembris, M. DC. XVI. quae exstat inter Opuscula, pag. 211. quod eo libentius facio, quod hinc etiam nonnulla ad scribentis vitam spectantia colligi possunt.

„ Quid enim ad memoriam jucundius, quam illius temporis reminisci, quo, post „ turcicum bellum, pace cum potentissimo rege icta, anno superioris saeculi septuagesimo „ quarto, felici meo fato in celeberrimo totius orbis gymnasio TEPRIMUM AG- „ NOVI. Dii boni! quantum sublimis ingenii tui virtus eluxit? quos in omni scien- „ tiarum genere profectus edebas? quam in omnium ore versabaris, dum aedes tuae „ omnium studiosorum perfugium essent? Nihil tunc mihi optatius, quam te videre, „ audire, alloqui, jucundissimos sermones de communibus studiis serere. O praeclara „ tempora! cum nobilitatis Venetae flos in amplissimo ac pulcherrimo literarum theatro „ sese ad egregios mores, atque disciplinas effingeret, &c. „

Transfere beata illa otia: in patriam concessimus. Toga virili sumpta, aliquan- „ tisper ego e statione deflexi. Tu pervigil, acer dies noctesque cum linguarum cogni- „ tioni, tum scientiis impense operam navabas. Mutuis alloquiis, frequentibus congres- „ sionibus alebantur animi. In tuis, inque nostris aedibus de rerum natura, de mo- „ ribus, de divinis rebus disputationes habebantur. Aderant multi, quos perdiscen- „ di studium attraherebat, ex nostra nobilitate aliquot: intererat Nicolaus, frater „ meus, qui te unice colebat, quem tu mirifice adeo diligebas, ut numquam sejunge- „ remini. (a) Alcyonios recolo dies, quibus per liquentia haec lateque extenta stagna „ incre-

(a) Alcyonios recolo dies Aut mysteria ipse mihi fingo, aut alcyonii dies hic non fereni tantum sunt & pacati. Quis enim tanta serenitate dies, quo nostris, non solum per intersecantes urbem euripos, sed per late extenta stagna mos sit vehi? Num & alcyonii fereni tantum sunt dies apud Lollinum epistola ad Maurocenum, pag. 67? „ Sic nunc consilii tui rationem probro vehementer, quod ejusmodi tuis gravissimis occupationibus diverticulum paraveris, ubi quasi de via fessus, & complures dies sis aliquando libentissime, & ALCYONIIS „ vel